

pomuni ex suis, prævenit ad equum Pontificis, & in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, cuius vices Pontifex in terris gerit, tenet stapham, quo ad Pontifex equum ascenderit. Et deinde accepto equi freno per aliquot passus ducit equum Pontificis. Pontifex, dum Imperator hæc civilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulum modestè recusare: & tandem cum aliquibus bonis verbis honorem non in personam suam, sed illius cuius locum tenet, recipiendo permittit illum aliquantulum progredi. Tum firmat se, & nullo pacto permittit Cæsarem ulterius ire. Qui mox conscenso equo suo accedit ad sinistrum latus Pontificis, & sub eodem baldachino equitat, & hoc ordine procedunt. Primum præcedant familiæ Cardinalium, cum suis valisii: & simul mixtæ familiæ Prælatorum, Principum, & omnium curialium tam Cæsaris quàm Pontificis. Deinde duo cum valisii Pontificis. Inde familiares domestici Imperatoris, & post eos familiares Papæ. Tum Nobiles, & Barones, & Comites minores utriusque, equus cum scala Papæ: tum vexilla rubea, quæ duodecim cursores portant; Deinde vexillum Populi Romani, vexilla Imperii, vexillum Papæ, vexillum Ecclesiæ, vexillum Crucis, cum vexilliferis armatis & ornatis, ut in coronatione Papæ. Hos sequuntur duodecim equi phalerati sine fessoribus: deinde quatuor nobiles portantes pilea ex cramisino quatuor Papæ cum baculis. Quibus succedunt advocati, & secretarii mixtim, secundum prioritatem officii procedentes, cum suis capuciis circa collum; quos etiam præcedunt Secretarii Imperatoris. Tum sequuntur Cubicularii etiam cum suis capuciis: inde Acoluthi clerici Cameræ Apostolicæ, & post eos statim Auditores cum rochetis & cappis. Deinde Subdiaconi cum cruce Papali, cum galero indici coloris, & cum aliis Subdiaconis cum cappis, ut alii. Tum duo portantes laternas cum lumine ante Sacramentum equitantes: deinde equus albus phaleratus cum tintinabulo portans Sacramentum: & supra illud Sacramentum baldachinum per cives Romanos portatur, & circa duodecim intorticia, quæ portantur per duodecim familiares Papæ, sive per duodecim beneficiatos S. Petri cum super pelliciis, post Sacramentum equitat Sacrista cum ferula alba. Inde si qui sunt maximi Domini, Principes, aut Duces. Principes Electores immediatè ante Cardinales procedunt: & si quis adesset frater aut filius Imperatoris, iret medius inter iuniores Diaconos Cardinales. Rex erit à sinistris Episcopi Cardinalis: & si plures adessent Reges, locarentur cum aliis Episcopis Cardinalibus. Sequuntur duo Diaconi Cardinales assistentes Pontifici. Et si cum Cæsare essent duo Principes Electores, qui præferrent gladium & pomum Cæsaris, isti deberent ire immediatè ante Cæsarem, sicut Diaconi ante Pontificem: & quando via esset arcta, irent ante ipsos Diaconos assistentes. Si verò non sint Principes Electores, qui portent illa, videlicet gladium, pomum, seu sceptrum (nam alterum istorum duorum portabit Imperator) illi duo vadant simul cum subdiacono qui portabit crucem, & illum in medio habeant. Sequitur Pontifex sub baldachino, & Imperator cum sua corona & imperiali habitu à sinistris. Post Pontificem sequuntur duo Cubicularii secreti cum serviente & mitra: & duo Medici cum secretario, si non sit Prælati. Et post Imperatorem duo Camerarii sint cum uno secretario cum umbella. Deinde Prælati assistentes Papæ. Et si quis Archiepiscopus Elector Imperatoris adesset, iret ante assistentes Papæ. Post quos ibunt Prælati, assistentes sive Consilarii Imperatoris, cum cappis & galericis, ut alii Prælati: alias non irent inter cappatos. Sequuntur deinde Prælati, Oratores, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii & Abbates, Cappati & Pileati: & de-